



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

16. Elias in loco alieno existens non obseruat ieiunium particulare tam huius, quàm proprij loci, idque probabiliter absque peccato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

clesiæ præceptum de non comedenda carne. Vnde Tanner Tom. 3. D. 1. Q. 7. d. 5. n. 110. Bannez 22. q. 3. art. 2. dub. 2. & alij inferunt, posse aliquem vti pileo Turcico cum tobalia alba, vt securus per Turciam transeat, & c. Ergò Cuno signis illis vtens præsumi nõ potest negare fidem, aut falsam protestari, sed solùm occultare se voluisse, cùm non teneretur se manifestare, licitèque aliorum deceptionem ad sui liberationem permittere posset. Atque ex hoc patet ad fundamentum in contrarium.

XVI. *Elias die, quo in proprio ipsius loco peculiare est ieiunium, hospitatur in loco alieno, vbi similiter particulare est ieiunium. Queritur. An teneatur ad ieiunandum?*

Videtur teneri, ne absurdè sit omnino exlex. Ita plerique AA. quos citat & sequitur Diana P. 1. Tr. 9. Resol. 18. & Tr. 10. Resol. 13. in fine; non tamen convenit inter eosdem, cuius loci lege diocesana teneatur.

Resp. Eliam probabiliter neutrius loci lege obligari ad ieiunandum. Ita Io. Sancijs in select. D. 44. n. 31. Ratio est, quia non obligatur ratione legis domesticæ, vt cum pluribus docet Arriag. D. 15. n. 41. eò quod tale præceptum specialiter intra locum se contineat, pro quo fertur: nec ratione legis in alieno loco existentis, vt cum multis docet Laym. L. 1. Tr. 4. c. 12. n. 4. eò quod tale præceptum

non

non obliget, nisi subditos & membra illius communitatis, pro qua fertur.

Nec absurdum putandum, Eliam in hoc casu esse *exlegem*, cum vniversim vagi nullis particularibus locorum legibus ligentur. Sed, inquit, regula Iuris est in 6. *Qui sentit commodum, sentiat & onus*. Ergo si Elias ob absentiam à Patriâ habet commodum, quod non sit obligatus lege ieiunij in illâ, oportet & ipsum habere onus legis ieiunij in altero loco. Dicimus, illam regulam iuris procedere solùm de commodo, cui onus necessariò est annexum, sicuti qui percipit fructus beneficij, prædij &c. debet his annexa onera portare, quia *onus transit cum re*, in præsentia verò nõ est necessariò annexum onus commodo, vt per se constat.

XVII. Emerentiana celebravit nuptias, quibus peractis, cum vir eius debitum conjugale exigeret, negavit illa, aiens, ante bimestre elapsũ matrimonium se non consummaturam, cum Religionis ineunda cogitationem, quam ante nuptias contractas habuit, nondum planè abiecerit. *Queritur. I. Vtrum Emerentiana ob cogitationem de Religione ineunda rectè recusavit intra primum bimestre debitum conjugale? II. Vtrum negare potuisset, etiamsi nihil de Religione cogitasset? III. Vtrum hoc Bimestre extendat se ad ipsam professionem, vel ad solum ingressum?*

Videtur Emerentianam malè negasse debitum,